

T Á R C A :

MAGYAR PROT. EGYHÁZTÖRT. KÜTFÖK.

DUAE EPISTOLAE.

Prior suae majestatis Mariae Theresiae ad celsissimum principem Franciscum e comitibus Barkóczy dd. 6. Apr. 1763. altera archiepiscopi Barkóczy ad Mariam Theresiam responsoria dd. 20. April. 1763.

Epistola suae majestatis ad celsissimum principem, archiepiscopum Strigoniensem Franciscum e comitibus Barkóczy data:

Reverendissime princeps, fidelis dilecte! Cum vitae meae rationes ante postremum elapsa paschatis festa (quem morem quotannis servare solco) *) examinare, incessit me religio **: Annon remissius pro orthodoxae fidei nostrae profectu hactenus laboratum fuerit, majorique contentione laborari potuisset? Quae est dilectionis vestrae de re tanti momenti perspecta mihi sollicitudo et studium: non dubitavi Eidem hos animi sensus detegere, confisa, dilectionem vestram consilio et opera mihi praesto fore, ut si quid fors hac in re elapsis annis praetermissum fuerit, hoc labente et in futurum quousque temporis rerumque conditio sinat in Hungaria, pro viribus resarciatur. Conferet multum ad animi mei tranquillitatem dilectionis vestrae pia aequae ac provida sententia, quam cupide exspecto ac gratis caesareo-regiis eidem benigne propensa maneo. Viennae die 6. Apr. 1763. Maria Theresia mp.

*) Die Viridium seu coenae domini, qui erat dies 31. Martii 1763.

**) Religio, quae Mariam Theresiam die viridium incesserat, est illa ratio colendi Deum a romanis pontificibus haec commemorata die, lectione famosae illius bullae in Coena Domini usitata.

Ad hanc idem princeps respondet sequentibus:
Sacratissima Caesarea et regio apostolica Majestas Domina Domina mihi Clementissima!

Benignas majestatis vestrae manuales litteras divinum sacrae communionis paschati praemissae fructum, magno reverentiae sensu osculatus sum, et cadentibus lacrymis rigavi. Agnovi in eis vocem Dei, animam sibi dilectam ducentis in solitudinem et loquentis ei ad cor; adoravi praaternam divinae circa augustam majestatis vestrae domum providentiae curam, quae postquam illam periculoso bello explicuit, continuo saluberrima consilia fuggerit, quibus redditae pacis fructus et copiosos et diuturnos legat, firmetque regnum ejus in sempiternum, Libere loquar ad dominam meam (cum domina mea) cum sim pulvis et cinis; cum enim nunquam mihi in testimoniis divinis, in conspectu regum confusio est metuenda; tum sane tremendum illud vae! quia tacui, expectandum mihi nunc foret, si quid celarem vestram majestatem, quando et benigne jubet animi munerisque mei sensa pandere, et numine pleno recipiendo fovendoque divini eloqui, semini est aptissima. Equidem, si privatam majestatis vestrae vivendi rationem intueor, (absit verbo dolus aut adulatio) ingenue mihi fatendum est ea christianae fidei, pietatis et charitatis exempla intueor, ut oculis in me ipsum, qui in sortem domini peculiari ratione vocatus sum, reflexis, saepe salutari rubore suffundi cogor, dum tamen publicum cum acatholicis Hungariae modum procedendi attentius perpendo, omnino subscribo majestatis vestrae sensis divinitus inditis, et libere adfirmo, remissius pro orthodoxae fidei nostrae profectu hactenus laboratum fuisse, majorique (cum) contentione laborari potuisse. Ea experientia potissimum fecit, ut a suscipiendo primatis munere mihi de clementia majestatis vestrae injuncto graviter abhorrerem, ea multos absterret catholicos, ut nec pandere audeant vulnera, quae religioni orthodoxae per varia regni loca infliguntur; propter hanc magna actorum religionis moles etiam nunc intacta haeret in locum tenentiali majestatis vestrae consilio; malunt enim boni catholici peculiarium id genus vulnerum dolorem dissimulare, quam loco optatae medicinae, gravem quampiam sententiam accipere, quae publica impunitate aut remissiore idealium resolutionum interpretatione, ad plurium ausuum fomentum, et salutarium conatum prohibitionem deserviat. Etsi autem non solum mihi, sed omnibus bonis subditis persvasissimum sit, hunc restringendae haereseos languorem, a robusta majestatis vestrae fide, et apostolico in ecclesiam Dei unicam ejus sponsam studio, quam lon-

gissime esse alienum, altiusque ejus interiores (inferiores) causas quaeri debere, eo tamen majori et attentione et commiseratione digna est omnium regnantium conditio, quod cum etiam de gestis ministrorum a se electorum Deo judici rationem subinde sint reddituri, in solis suis privatis, licet rectissimis sensis et studiis acquiescere, impunitatisque spem locare non possint; mihi quidem relegenti et nostros, et majorum nostrorum dies, juste vereri subiit (subit); ne jam inde a suscepta Hungariae corona, quidquid molestiarum et periculorum augusta domus austriaca perpessa fuit, potissimum imputandum haeresi sit, in regnum marianum et apostolicum seu admissae, seu etiam (meliori) medio tempore nimis indulgenter toleratae. Et de superiorum annorum periculis opinio mea, vel per id satis firmatur, quod per quae quis peccat, per eadem plerumque puniatur. Omnis autem molesta et periculosa intemperies, qua Hungari (eo) ipsi omnia susque deque miscebant, et externum hostem, ipsumque Turcam, in suum praesidium advocabant, solis novitiarum sectarum (confessionum) asseclis sit imputanda. Rerum hungaricarum gnaris explorata loquor, peregrinos autem docendi hic non est locus. Quod si vero nostra, vel nostris viciniore tempora spectemus, justius eo metu percellor, propterea, quod Dei ope quietiores et feliciores dies nacti, tamen restringendis his sectis, parum, extingvendis prorsus nihil egerimus. Si cum hominibus solo sensu, et carnali prudentia regi solitis agendum mihi esset, vererer, ne ludibrio iis sim cachinnandique materia; animalis enim homo non percipit ea, quae sunt spiritus; stultitia enim illi sunt, et non potest intelligere. Metu tamen hoc liberor apud sinceram majestatis vestrae fidem, et pietatem priscorum quorumvis virtuti parem, quae Deum omnium rerum communium et privatarum, sicut conditorem ita etiam gubernatorem agnoscit, publicarumque rerum vices, in illum remuneratorem bonorum et vindicem malorum refert. Audacter proinde revocabo majestatis vestrae in memoriam felicia augustae suae domus principia. Constans catholicorum scriptorum sententia est, initium auspicatissimum ejus, florentiorisque regiminis, peculiari in tremendum eucharistiae sacramentum, cultui et venerationi imputandum esse, tritum autem habet proverbium, res per quas causas nascuntur, per easdem dissolvi. Licet autem et Majestas Sacratissima, cum augustissima sua sobole gloriosissimorum suorum praedecessorum in hoc cultu, vestigia omnia, magna cum subjecti cleri, et populi aedificatione, insigniter premat presseritque etiam Gloriosissimae memoriae desideratissimus genitor Majestatis vestrae: haud tamen scio, an non cum magna numinis eucharistici offensa in populo sibi

subdito sustineat, sustinueritque irrestrictas eas novitias confessiones, quae cum suapte haereses grande peccatum, imo multorum peccatorum radix sunt, tum inprimis dulcissimo salvatori, nobiscum sub vamento panis habitanti bellum indixisse videntur, cum publicae (publice) apud nos adorationi expositum explodunt. Nos, qui in spiritu et veritate adoramus veluti idolatras conviciari non verentur (erubescunt), hae voces in omnibus scholis eorum publice sonant, et audacissime detonantur; his plena sunt centenorum ministellorum blasphema ora, his multa de rudi vulgo millia a nobis, et sacris nostris avocantur, et tamen cathedrae tam pestilentes merces vendentium non solum non evertuntur, sed etiam ab omni zelosiorum catholicorum impetu, publica auctoritate defenduntur. Ista meditati mihi, saepe occurrit, an non ob has Dei, nobiscum habitantis injurias venerint et illa pericula, quae post longam desideratissimi sui genitoris pacem, ad multa pro augendo regno Christi gerenda aptam Majestas vestra sacratissima statim cum principio sui regiminis adivit et ista proxima (postrema), quibus bellum nuper sopitum augustum mattis vtae solium non leviter consussit. Hinc omnino divinam agnosco et veneror providentiam, quae vix pericula illa amovit, sanctissimum indidit consilium, et propositum siccandi fontem, ex quo ipsa fluxerunt; solatio sit matti vtae, quod ex hoc instinctu pio clare intelligere possit, res suas, suaeque augustae domus in aevum servandi divino numini peculiari curae esse. Sentiet mattas. vta hujus curae fructum uberrimum, modo vocem domini quam in salutare hoc accessu suo audivit, cordeque bene comparato, suscepit, nec strepitualiorum nimis quidem multorum negotiorum obrui, nec hominum in fide frigiborum consiliis a carnali prudentia, quae apud Deum stultitia est profectis, extingvi sinat. De praeteritis nolit esse mattas ssma. vta. nimis anxie sollicita, nec bona, quae hanc in rem egimus recensenda sunt, ne cum Davide populum numerante, notam quampiam, apud Deum incurramus, quin tametsi omnia fecerimus, dicendum nobis est, servi inutiles sumus, nec mala quae magis per subjectorum ministrorum remissionem, seu non attentionem, invecata sunt, nimis inquieto animo, expendamus si et in quantum, nos ipsi horum rei sumus; benignus est dominus et multus ad ignoscendum, poenitentibus omni momento janua misericordiae et veniae apertam habet, et continuo obliviscitur omnium praecedentium erratorum, modo tamen sincerum et firmum, habeant propositum poenitenda non iterandi. Deum praecor et praecabor, ut in eo, mattem vtam ssam confirmet, dirigat et protegat, ut adjutor fortis. Priusquam autem secundum quod dedit Deus, dederit elo-

qui, meum exequendi hujus sancti, et salubris propositi consilium, ut jubeor, pandam, muniendum est mihi primum mattis. vtae. cor, contra spinas frigidorum politicorum, quibus divinae hujus modi sementis granum suffocare nituntur, veram frigidorum hujus modi consiliorum causam fere unicam invenio defectum ac nimium languorem fidei christianae. Si enim fide firma et vera crederent, sine fide impossibile esse placere Deo; item unum esse Deum, unum baptismum; unam fidem, denique mandatum unicuique de proximo suo per leges charitatis, quae finis est totius legis, ab omni non solum spirituli sed etiam ac multo magis aeterni damni et periculi incursu, quantum in nobis est, servando; adduci haud possum, ut credam, tam conniventibus oculis spectaturos aeternam perniciem, tot mille animarum praetioso Christi sanguine redemptarum, sed quia infallibilia divinae fidei dogmata, eorumque confectaria vel non attendunt, vel etiam spernunt, et solum pro politico humanae artis invento aestimant; mirum sane non est, quod nec sine contritione pereuntium ulla commiseratione tangantur, et aeternorum internorumque cura omni neglecta sola transitoria et externa urgenda curandaque suscipiant, haecque ipsa, non Dei gubernatoris placitis, sed brevis, ac imbecillae praeterea ad educationem pravosque mores, et habitus corruptae rationis, suae criterio gubernanda esse arbitrantur. At ab aperta hujus sortis hominum oppugnatione custodienda mihi non est stma. Mattas vta, tum quod id genus luci fugae noctuae, plerumque latere ament, nihilque melius quam hypocritam agant, hypocritamque simulandi artem, teneant, tum quodsi quis eorum aperto Marte configere unquam attentaret, sufficiens blasphemias ejus retundendis scutum sit, christianum mattis vtae. pectus divinae fidei principiis, cum lacte haustis (salutis lectio varians) posteaque studio exercitatione et gratiae divinae auxilio roboratis munitissimum. Magis ergo mihi (vero mihi) providendum est, ut eae aves noscantur, ex voce ex variis ejus consiliis, splendida status ratione saepe ita callide tectis, ut quaecumque timoratis (timoratis) conscientis, imponant, si non cautas deprehendunt (deprehendant). Praecipui qui mihi nunc succurrunt, illorum praetextus sunt.

1-mo Fidem praestandam esse, etiam inimico, cum igitur lex patriae, novitias etiam has confessiones, toleret, de legibus autem servandis rex Hungariae vel ipsa inauguratione jurejurando caveat, citra juramenti, fidelitatis et justitiae violationem negari iis amplius non posse facultates per leges (addictas) adductas.

2 do Restrictione acatholicorum, ultra leges et ideales resolutiones attentata nullam certam legem futuram dicasteriis secundum

quas ortas controversias, componant, consequenter assiduis querelis, et lamentis impediendam esse augustam aulam.

ibid. 3. o Periculum est, ne subditi harum confessionum assecclae, disgustentur, ad murmur, querelas, seditionesque provocentur.

ibid. 4. o Attendi debere, ne horum persecutione conflamus nobis odium vicinorum principum, ejusdem religionis consortium.

ibid. 5. o Quidam, qui plus sapere in theologia videri volunt, praetendunt, illorum conversionem relinquendam, esse soli Deo, cujus donum est fides vera.

ibid. 6. o Alii totum conversionis (religionis) negotium relegatum (religare) volunt, ad solos sacerdotes, quum fides sit ex auditu, auditus per verbum Christi, verbi vero divini praedicatio sacerdotibus sit, credita.

Haec mihi nunc succurrunt, nam illos, nec refutationi dignos esse censeo, qui eo pseudopolitiae impietatis, etiam impudentiae et temporum ignorantiae prolapsi sunt, ut diversitatem religionum et ex hac manantem animorum scissionem, in Hungaria propterea sustinendam esse, conviciantur, quo gens ad novandas res propensa, hac divisione facilius officio teneatur. Itaque prioribus singillatim respondebo, et quidem.

Ad 1. um Si sermo cum sincero catholico nobis sit, rem habemus evictam, si autem cum filio incredulitatis, nisi eum prius christianum faciamus, tum nos frustra in eo convincendo sudabimus, dum ipse prorsus inepte hanc servandam legum religionem nobis objiciet. Cum ex ipsius principiis liceat quidquid lubet modo sine gravioris mali periculo fieri possit, totaque regula justitiae sit, huic tali mensurae proportionata (potentiae): ne tamen saltem eo (hoc) argumento, quod logici ad hominem vocant, nos premere videantur (videatur), sciat apud sinceros catholicos haeresin omnem tam esse malam, quam blasphemiam, furtum, praedo (latro) cinium et similia. Quasunque ergo leges catholicus de haeresi condit, non potest ulla ratione dici, quod per eas haeresin approbet, laudet, protegere et dilatare promittat, sed solum, quod eam sit toleraturus. Porro unica apud catholicos tolerandae mali causa esturgens necessitas, quae sine gravioris mali periculo evitare nun potest (possit), itaque omnis vera tolerantia hunc habet sensum, malum istud, quod de facto evitare nequeo, dissimulo quidem sub his et illis metis, quas (egredi) aggredi non attento, corrigam vel restringam, cum praesentis periculi metus cessaverit, seu minutus fuerit. Jam quod omnes leges Hungariae, quae iniquo tempore latae sunt, limites tolerantiae non excedant, et ex natura rei, et communi omnium regnicolarum opinione certum est, iudicantque ipsa le-

gum verba, tristi illa particula ad huc affecta, igitur hoc ipso, quod rex Hungariae de novitiis confessionibus latas leges servaturum se promiserit etiam ad eas confessiones, pro temporum conditione faventiore restringendas, vel penitus exstingvendas semet obligavit. Haec enim est natura genuinae tolerantiae, uti jam praemisi, leges vero istae utique non ut approbantes, sed solum ut tolerantes haeresin et conditae sunt, et servari promissae. Licet ergo dissimulem justissimam illam quaestionem: quidnam roboris leges hae, quae reluctante (reclamante) toto clero, primo regni statu, contradicentibusque omnibus catholicis latae sunt, habere possint, ex genuina tamen ipsius tolerantiae natura cuivis probo catholico apertum est, tam parum terculamenti posse ex iis injici constientiae principis de haereticorum restrictione vel suppressione pie cogitantis, ut potius hoc ipso legum sensu, catholice explicato, ad consilium propositumque suum executioni mandandum gravissime obligetur. Hoc si fideles ministri adtenderent pacis altae tempore acatholicorum, quibus sectam suam servare, ornare augereque semper nituntur, non tam facile subscriberent sed an eorum negatione gravius quodpiam malum reipublicae immineret, mature, et in pondere sanctuarii expenderent. Quidquid autem tali periculo haud urgente indulgent etiamsi in lege, et (aut) idealibus resolutionibus expressum id videatur: jam sane haeresin ejusque exercitium, et exercitii adjumenta, non tam tolerant quam positivo favore fovent: quo et suam et principis conscientiam, gravis rationis Deo districto iudicii reddendae reatu maculant, temporariumque illud ad huc aeternum reddunt.

Ad 2-dum Semel intellecto bene sensu genuinae (genuino) tolerantiae manifestum est, quod et leges et ideales resolutiones solum restringunt acatholicos, ne ultra limites in iis praescriptos temporeque iniquo, per vim occupatos impune evagari possint, nulla autem ratione ligent, aut ligare possint manus principis, ne acatholicos adhuc artioribus limitibus cum suo exercitio claudant, quandocunque aliquid sine graviore periculo eis decerpi posse putaverit. Quotiescunque ergo aliquae praeces acatholicorum ad augustam aulam venerint, fidele et catholicum ministerium discutiat, 1-o an aliquid petant, quod in legibus, aut idealibus resolutionibus ejus antea addictum non fuerit, et hoc tale sine ulteriori examine, sine ullo peculiaris clementiae (quae solum in rebus bonis locum habet) praetextu rotunde negent. 2-do Si petitum in legibus aut idealibus resolutionibus contineatur: perfunctorie, sed serio combinando omnes circumstantias examinent, an eo negato aliqua gravis perturbatio in rempublicam inveheretur, cui facile obviari in praesentibus circumstantiis non possit; et si quidem coram Deo ita

judicaverint, petitum cum clausula ad huc permittatur, sin secus: propter naturam hanc tolerantiae aequae rotunde ac imperterritae negetur, non attento ullo humano favore, prece vel pretio. Sed magis tremenda Dei iudicia, quae facientes, et consentientes pari poena mulctant. Si acatholici nostri libera ministrorum catholicorum voce (corde enim creditur ad justitiam, ore autem sit confessio ad salutem) intellexerint hoc sensu ab iis accipi omnes leges tolerantes et ideales circa ipsas resolutiones, si animadverterint, querelas suas ad hanc aequam interpretationem exigi: vadimonium quantumcunque imponere ausim, hunc solum modum sufficientissimum esse ad omnes ipsorum querelas et preces intra breve tempus compescendas. Sicut enim hunc acatholici, quando parum faventes resolutiones accipiunt, metu graviorum ad silentium compelluntur, ita certo cordatum catholicae religionis studium, acatholicis silentium breve imponet. Ad id vero praestandum princeps terrae ejusque ministerium eo gravius obligatur, quod clero et catholico populo, omnis sua autoritate novandi potestas sit vetita, totumque religionis negotium, per art. 30. 1715. soli principi reservatum, unde quidquid obligationis habent alii terrestres domini catholici, ad religionem orthodoxam in bonis suis promovendam: id omne princeps ex sua lege portat rationemque etiam de privatis hujusmodi dominorum terrestrium obligationibus coram Deo reddere tenebitur, quod quanti periculi sit, quantaque circumspectione indigeat, fideles ministri non ex fallacibus humanae hallucinationis commentis definiant, sed ad pondus sanctuarii diligenter expendant.

Ad 3-um. Si haeresin gravem animi (animae) morbum esse sincere credimus, similia aegrotorum lamenta et disgustus curare non debemus; nec corpore infirmis medicinae sapiunt, molesta est eis ordinata vivendi ratio, et a multis rebus abstantia, item medicina nulla ferme prodest, nisi aliquam in patiente alterationem causet, qui vero acuta febris vexantur, nesciunt se aegrotare, tum ipsi medico fortius resistunt, nihil tamen horum impedit prudentem medicum, aut sincerum amicum, quominus noxia eis subtrahat, profutura ingerat, ex hujus modi autem acatholicorum displicentia et querela, statim seditiones suspicari, et nescio quam graves reipublicae convulsiones metuere ne illorum sit, quibus ubique leo est in via, timuerunt timore, ubi non est timor. Valuerunt hae aliquid neniae, quando aut haeretici in plerisque locis, et numero et autoritate praedominabantur, aut regnum fere omni milite evacuatum fuit. At nunc, quando numerus catholicorum Dei gratia longe superat, quando magistratus publici fere omnes sunt catholici, quando pace foris constituta, magna pars militiae in regno stativa habet, quando plebs acatholica fere nullum

habet, qui caput et ducem tumultuantium agere posset: nescio quis gravis motus metui possit, qui non in ipsa herba suffocetur, et mirum est nunquam allegari metum seditionis, a parte catholicorum plurimum, et tam opibus, quam auctoritate praevalentium, licet illorum religioni multa damnosa permittantur, favorabilia non concedantur, imbecilles vero et acephalos acatholicos hunc metum tam facile incurtere posse. Agnoscit ergo ministerium acatholicos ex suae sectae genio ad seditionem esse proclives, eos, quae tales metuit, et cum alias semper, tum praecipue tempore belli admodum delicate tractat, principem metu istos (ipsos) offendendi a decretis ceteroquin piis et justis publicandis avocat. Atqui dignitati et majestati principis valde inconveniens est pati subditos tantopere metuendos, igitur vel ex hoc ipso capite vires omnes impendendae essent, ad eos minuendos et, quantum licet, exstirpandos.

Ad 4-tum Dissimulo monere, quantum attentiones mereantur, hae voces Christi: Nolite jugum ducere cum infidelibus, tantum a tota hac politica cautela, licet annis superioribus diligentissime servata, imo etiam in datis resolutionibus promotivo expressa, ministerium majestatis vestrae nondum effecit, ut vel Moscum, vel Anglum, vel regum Borussiae, vel alios acatholicos principes in fide et foedere mattis vrae conservaret, cui ergo usui praetextitur, fidei servandae causa, quam in effectum stabilem nunquam venisse eventus docuit? — Deinde cum principes acatholici ob respectum matris vtrae nullum favorem sanctiant in suis provinciis religioni catholicae, ipsi rationi status et bono augustae aulae nomini adversari mihi videtur ostendere Europae, quod mattas vrae vel religionem suam orthodoxam, minusquam illi suam solent, curet, vel certe eos pro tam formidandis vicinis habendos putet, ut metu offensionis ipsorum, nec ea aggredi audeat, quae ad aeternam subditorum suorum salutem atque etiam ad ipsam temporaneam reipublicae suae utilitatem (felicitatem) profutura credit et agnoscit. Preterea, quod apud plerosque acatholicos nasutiores, totus religionis zelus commode refrixerit, postquam communi libertinorum sensu religio non nisi pro politico proprios subditos in officio tenendi modo, aut pro apto aliarum destinationum, utilium pallio haberi coepit.

Ad 5-um Omne datum bonum et donum perfectum desursum est, tentari tamen non debet Deus, ut nullis mediis et instrumentis aptis adhibitis, semper miracula, in nostrae segnitiei gratiam patret, alias boni hi consilarii, nec belli suscipiendi ulla praeparatoria praemitti debere persuadebunt et sine cibo potuque egregie saturi manebunt, sine auxilio gratiae divinae, praesertim in rebus

salutis nostrae, aeternae et alienae nihil possumus, non tamen sola gratia operatur, sed divo Paulo teste gratia Dei mecum. Deus etenim promisit solum auxilium opportunum, auxilium vero non est, ubi unus omnia perficit etsi totum a Deo solo expectandum esset, cur tot essent divinae commonitiones et adhortationes, quibus ad bonum agendum impellimur, a malo et pigritia avocamur? Cur erecta fuissent tribunalia, plectendis delictis constituta? et ne quo evadam, talium theologastrorum insipida argumenta, cuivis relinqui plenam prout libuerit agendi facultatem, volunt cupiuntque principi eripere gladium, quem a Deo acceptum portat, in laudem tutelamque honorum, et vindictam malorum.

Ad 6-um. Etiam fures, praedones, blasphemii, ceterique peccatores praecipue sacerdotum praedicatione, motivis et ministerio ad poenitentiam adducendi sunt, neque tamen tollit propterea princeps leges, quae eorum peccatorum incentiva amovent, aut peccantibus poenam dictant, non abrogant magistratus poenarum hujus modi exactores. Utraque potestas, ecclesiastica nempe et civilis a Deo est, ad unius corporis, nempe ecclesiae aedificationem, ut se mutuo juvent, et quod non valet sacerdos praedicando et monendo, id princeps procuret, ejusque magistratus sensibiles poenas infligendo. Sicut anima luteo huic vasi alligata, ejus organis ad suas operationes indiget, ita potestas spiritualis, sine secularis potestatis adminiculo raro aliquid efficaciter, persvadet, praesertim apud homines coelestium inanes, sensibusque immersos, quos solae corporis deliciae vel poenae afficiunt quarum potestas et arbitrium praecipue in manu civili est. Unde, licet non ignorem inprimis sacerdotum esse munus, ut docendo et praedicando errores confutent et veritatem evangelicam doceant, non tamen per hoc excusatur princeps et magistratus, nolens cogere subditos, ut illos predicantes audiant, item amovere omnes occasiones et incentiva errorum; frustra enim quodcunque bonum semen in terram hanc jaciemus, nisi prius spinas et lolium, manumque ea copiose inserentem amoveamus. Errores cum lacte sucti praeterea corruptae naturae genio grati, non facile tolluntur, nullo autem negotio firmanentur. Nisi itaque minuamus copiam perversorum magistrorum ex verorum pastorum institutione, paucos fructus legemus; cathedras autem pestilentiae tollere, earumque discipulos, minuere, non tam est in sacerdotum, quam in principis potestate.

Breviter perstrictis frigidorum aut simulatorum catholicorum calvis praetextibus, transcendum mihi jam est ad media, quae perficiendo, sancto proposito plurimum profutura sperem Equidem

non sum tam rigidi consilii, ut antequam initium experiamur, continuo ignem, ferrum caeteraque extrema sanandis aegrotis applicanda existimem; tangor miseratione christiana contribulium et licet errantium, malimque sanatos, quam extinctos; unde tentanda esse puto meliora remedia, quae ipsis legibus admittentibus, seu ad semel, seu, quo libuerit, ordine, statui possunt sequentia:

1-mo Illatio extraneorum librorum haereticorum graviter prohibeatur et censura omnium librorum, juxta humillimum meum projectum nuperum instituatur.

2 do Omnes earum scholae restringantur, ad solam grammaticam et ad 14 aetatis annum studiosorum; qui vero altiora studia prosequi vellent, admittantur ad scholas catholicas promiscue, sed sitas in locis talibus, quae non habent publicum acatholicorum religionis exercitium, magnam hinc sperarem conversionem (accessionem) ad regionem orthodoxam, ipsi vero queri juste non possent, de substracta occasione studendi, pleraque enim civilia Hungariae officia gerunt catholici, qui ad ea in patriis scholis catholicis satis aptantur, neque hoc esset eos cogere ad caerimonias religionis ipsorum (suae) contrarias, quod solum vetat lex tolerans, iniquo tempore lata; nam syntaxis, poesis, historia, rhetorica, mathesis, logica, physica, metaphysica caeteraque profanae nostrae scientiae nulla ratione adversantur augustanae et helveticae confessioni. Nec obstat, quod hac ratione habituri sint frequentem occasionem audiendi commendationem et probas religionis catholicae; suadere enim et docere aequè non est cogere. Si vero serio eorum conversionem promovere optamus, media audiendae veritatis, praedicatores eis suggerere debemus. Propter eos, qui ad ministerium ipsorum parantur, nulla videtur habenda peculiaris reflexio; ex propriis enim eorum principiis totum religionis fundamentum est scriptura sacra, quae cum ipsismet docentibus sit clara, neque ulla iudicis interpretatione indigeat, satis ad eorum ministerium, erit, si hi, qui legere sciunt, scripturam sacram, vel ad summum postillas pro suo et audientium usu praelegant, quod praestare poterunt etiam illi, qui in nostris scholis studuerint; perinde ad reliquas ministerii partes, nullo peculiari studio et praeparatione indigent; negant enim iudicalem potestatem clavium, negant potestatem ordinis, panem vero porrigere communicantibus, aut generaliter, quod peccatores sint, se accusantes, facile poterit declarare absolutos quicumque, qui formulas consvetas e memoria dicere, vel e legenda legere poterit. Quodsi tamen nimis id videretur arduum, licet principiis eorum sit consentaneum, posset ad summum unus locus deputari pro helvetica confes-

sione, unus pro augustana, in qua soli illi instituerentur (instituantur) in dogmatica, qui pro ministerio parandi sunt; ad eas tamen scholas nullus admittendus foret, nisi a syntaxi usque philosophiam inclusive, nostras scholas frequentasse testimonio praefecti scholarum docuerit: quod valde minueret ministrorum numerum, propagandae religioni orthodoxae summe perniciosum (periculosum), hos autem, qui tamen in secta pertinaces manerent, redderet erga catholicos paulo mitiores et aequiores.

3-tio Etiam propter periculum principiorum reipublicae statusque rationibus noxiorum decernendum esset, ut in utraque confessione ad ministerium inhabiles sint ii, qui in exteris provinciis studuerint, quo nullo negotio evitarentur (morarentur) excursiones studiosorum acatholicorum.

4-to Cum non satis sit acatholicis ademisse magistros perniciosos, nisi etiam praebeamus occasionem audiendi bonos, pro regio-apostolica de salute ipsorum cura edicendum esset, universaliter, ut omnes in regno acatholici teneantur in ecclesiis catholicorum, ubi exstant, audire verbum Dei, neque prius audeant sua oratoria accedere, quod pia memoria serenissima regina Poloniae, in suo capitaneatu seepusiensi feliciter decreverat. Neque enim hic queri possent, de aliqua coactione, praedicatio enim neminem cogit, sed tantum docet et monet; cum tamen sit medium ad veram fidem ex ordinatione moderna providentiae necessarium, tam tenetur princeps catholicus subditis suis illud procurare, quam obligatus est eorum erroneam sectam sensim extirpare. Id si benigne praeciperetur, consultarem ego cum fratribus meis, Hungariae episcopis, quomodo instituendi sint nobis sacerdotes, de sermonibus ad illos, utiliter habendis. Ut tamen major sit instituti nostri fructus, una sub poena cassandi publici tali in loco exercitii, sub proscriptione praedicantis statuendum est, ne ministri acatholici audeant, in suis concionibus invehi in dogmata catholica, ea per expressum oppugnare, vel refutare, catholicos, conviciis quibusdam et sarcasmis afficere, auditores suos ab eorum consortio familiari dehortari; nullibi enim leges tolerantiae ad hoc eis facultatem tribuunt, sed solum liberum religionis ipsorum usum et exercitium permittunt, idque absque praedicio romano-catholicae religionis. Quod ipsorum religionis exercitium, uti jam supra attactum est, nequidem publicatione, praedicationeque indiget secundum ipsorum propria principia, cum sufficeret praelegi scripturam sacram, quae ipsis est totius fidei unica regula, et per omnia clara est, unitione spiritus sancti docente quemvis, quomodo quis textus intelligendus sit, unde, nisi ab oppug-

nanda et vituperanda religione catholica abstinuerit, nunc et pro tunc edici posset, ultra prænmissos poenas etiam omnem praedicationem publicam in toto regno universaliter interdictum iri.

5-to Cum in multis locis dedititiis, quae secundum benignas ideales resolutiones non sunt articularia, item quae anno 1681 fuerunt praedia, seu alias exercitium publicum non habent et de facto ibidem exercitium vigeat, edicendum esset, per omnes cottus, ut magistratus statim tollant publicum acatholicorum exercitium, in omnibus iis locis, quae dedititia fuisse seu alias anno 1681 publicum exercitium non habuisse comperuerit. Nihilominus

6-to Vetandum esset, ne in futurum ministerio uspiam vacante, novus minister sine expresso mattis indultu intraducatur, Ut autem sua mattas dignoscere possit, an huic vel illi loco publicum exercitium adhuc permittendum sit, teneantur probare petentes locum ipsorum quaestioni substratum esse articulare in sensu legum et benignarum explanationum regiarum; si probam nullam, vel alicui dubio, seu exceptioni obnoxiam adferrent: eo ipso exercitium esset sufferendum; quod si autem in proba subsisterent, tamen pro regula cassandi etiam in loco tali exercitii servari posset, si ad unius horae a loco tali distantiam publicum ipsorum religionis exercitium habeatur. Queri de hoc multum non possent, cum etiam catholici, qui dominantem religionem profitentur, multi una hora a suo sacerdote ex principiis nostrae fidei magis necessario distent. Hac autem regula inciperet non esse otiosa particula ad huc.

7-mo Eadem particula ad huc adhibenda esset etiam ad privationem templorum, quae olim indubitate fuerant catholica, item ad restitutionem fundorum et beneficiorum, olim ad templa et scholas catholicas pertinentium, at una cum illis tempore rebellionum per vim quaesitam ablatorum. Quae privatio vel generatim vel vero per partes instituenda esset, suadente id ipsum contextu legum, quae illa non ad dominium, sed solum ad usum acatholicorum adhuc reliquerunt, idque pro actualibus eorum possessoribus, qui pridem emortui sunt, idem absque praejudicio romano catholicae religionis (ecclesiae), quod praejudicium tam diuturna usurpatione est manifestum.

8-vo Serviret ad restringendam haeresim, edicere, ut nullus in regno admittatur exercere officium iudicis, assessoris, senatoris, nisi deponat decretale per deum et per beatam virginem Mariam et per omnes sanctos.

9-no Statui posset, ne posthac ullus novus acatholicus advocatus permittatur agere ad cancellariam aulicam et tabulas districtuales

pro: cujus executione determinari posset numerus advocatorum, ad ea dicasteria admittendorum, ita tamen, ut deinceps et ad talem numerum nullus recipiatur, sine benigno consensu, ad praevidiam dicasterii informationem dando, qui consensus postea negari posset acatholicis; quin statutum hoc in universali forma publicetur, sed pro sola cancellaria instructioni serviat.

10-mo In nonnullis civitatibus regiis tempore iniquo introductum est, ut alternativa certorum praecipuorum officiorum, item aequalitas numeri senatorum concedatur etiam, nunc acatholicis, hoc quoque cum emolumento religionis catholicae tollendum, vel saltem magis restringendum esset eo faciliiori modo, et etiam majore cum obligatione quod civitates regiae, peculia sint mattis vtae. restaurandisque earum magistratibus posset semper praefici unus zelosus deputatus cameralis.

11-mo Caetibus et contuberniis mechanicorum universim imperari posset, ut sine discrimine religionis teneantur interesse non solum catholicis concionibus, de quibus jam supra, sed etiam omnibus processionibus, et pietatis exercitiis per ipsorum articulos injunctis; qui autem contumaciter sese absentaverint, duabus quidem vicibus mulcta pecuniaria afficiantur, tertia vero vice irremissibiliter a coetu ejiciantur, opificiumque exercere prohibeantur.

12-mo Sensim, Dei ope deficientibus acatholicis, praesertim lutheranis, per quos accersuntur et soventur suppetiae ab extraneis, cum vero tolerantiae nostrae leges latae sunt solum pro Hungaris, iis omnino salvis edici posset cum magno religionis emolumento, ne deinceps ullus acatholicus admittatur, vel ad concivilitatem, vel ad caelum aliquem mechanicum, immo etiam ad matrimonium, nisi constet, eum in Hungaria natum.

13-mo Vigilandum etiam esset in militia, ne acatholici ad officia conspicua promoveantur.

14-to Quia vero leges frustra feruntur, nisi de exacta eorum executione provideatur, statuendum esset, ut acatholici quidem in aliquod benignum decretum (mandatum) regium, cui negotium religionis art. 30. 1715. desert, delinquentes eo ipso usu publici exercitii in loco praevericationis sint privati; magistratuales vero, mandata remisse exequentes vel negligentes subjaceant legali poenae, non observationis mandatorum regiorum jam anno 1725. per consilium locum-tenentiale dictatae, et per universos comitatus publicatae.

15-to Prohibeantur ad cancellariam omnes acatholici agentes. Cum enim per art. 30. 1715. vetitum sit eis aliquid communi nomine proponere, non videtur, cur debeant proprios suae religionis agentes hic habere, nisi ad elusionem hujus legis. Licet enim in memorialibus

privata querulantium nomina ponant, revera tamen communi nomine agunt, per agentes communes, communi stipendio solvi solitos.

16-to Vetentur matrimonia sponzorū mixtæ religionis, præcipue si sponsa sit catholica, in ea enim imbecilliore, ejusque prolibus plerumque adest perversionis periculum.

Hæc repente effudi, imo impetu gaudii, quo ingente me pia mattis vrae. et justa sensa affecere; quid? quando? et quomodo ad usum revocandum sit? pendeat ab altissimo mattis, vtae. judicio, si uberiter de hac re sensum meum de hac re explicare mattas vra. indulserit, præstabo id coram, quando ad venerandam felicissimam majestatis vrae. natalem Viennam procurram. Plura autem fors, etiam efficaciora suggeret idem divinissimus spiritus, qui sicut hanc mentem matti. vrae. indidit, ita ejus perficiendae consilia et vires dabit. Juva-bit præterea ingenuus, quo cor mattis. vrae. ardet amor in Deum et in hos miseros, qui in tenebris et umbra sedent, hic idem faciles ostendet modos, totum istum pium conatum ipsis tolerantium legum patriarum formulis accomodandi; modo semper oculi intenti sint in veram naturam tolerantiae; in germanum sensum particulæ adhuc, item in clausulas: absque prejudicio religionis r. catholicae; salvo jure dominorum terrestrium; secundum explanationes regias salvis semper eatenus legibus regni diplomate regio firmatis; item ne compellantur ad ceremonias augustanae et helveticae confes.; denique propter bonum pacis, ut nimirum quiete et pacifice vivant. In quibus legalibus clausulis quot sunt verba, tot fere continentur argumenta, restringendae etiam exstirpandae haereseos, haud dubie dictante propitio numine, et iniquissimis illis temporibus adnotata ad nostrum usum, qui Dei beneficio et materna mattis. vtae. cooperatione, tristibus illis impedimentis commode sumus expediti. Oro mattem. vram. ssmam. et quia ab instituto divi Stephani regis, regni Hungariae aulae parochus sum, etiam ex munere meo, quo indignus pro Christo feror, hortor ac moneo, nolit spernere vocem Dei, se ad tam sanctum consilium et studium vocantis, verum potius dignetur spiranti aerae divinae plena cordis sui vela dare, et ad sarciendam Christi vestem, tam aeternae subditorum salutis studio, quam temporanae provinciarum suarum quietis et felicitatis amore omnem operam, vires auctoritatemque suam accommodare. Deo regente et juvante, spero facilius processura omnia quam quidem existimant aliqui in Dei causa timidi ac increduli. Sed etsi motus quispiam, qualem omnes medicinae producant, secutus fuerit, verba inflata et vanas sine viribus iras vix excedet. Quodsi vero etiam ad factum quoddam audaces processerint, cum non difficile in his quidem circumstantiis opprimuntur, tum hoc habebit lucrī, quod sanctum

mattis vrac nomen sonantius ad posteros transmittet, gubernium vero felix et tranquillum etiam in augustis posteris perennare faciet. Deus enim se glorificantes etiam glorificat. Me altissimis gratiis demississime commendo et in homagiali subiectione emorior. Posonii 20-ta Apr. anno Domini 1763.

A CHINAI VALLÁSRENDSZEREK.

A FÓ VAGY BUDDHA VALLÁSRENDSZER.

A tizenegyedik században Kr. e. egy rendkívüli férfiú tűnt fel keleti (elő) Indiában, ki az ottani Bráhma vallásnak reformátorává s ez irányon haladva egy, a századok folytán óriási mérvben kifejlett új vallásrendszernek alapítójává lőn. E férfiú legismertebb neve Buddha. Midőn ő fellépett, egyedüli uralkodó vallás volt Indiában a Bráhma, melyben egyik jellemző tüneményül tekinthetjük a fokozatos emanatismus elvéből folyó várna- vagy kasztrendszert. A Parabráhma fejéből származott Brahmin vagy papirend oszadaltos összetartással és következetességgel tudta kivívni erős vetélytársa a Ksatria (harcos) rend fölötti elsőséget s így egész India anyagi és szellemi hatalmát*). De itt is úgy történt mint mindenütt a világon, hogy a korlátlan hatalomra jutott osztály, ellenőrzet nélkül levén, kincsbányájának tekinté, saját céljaira csavargatá el azt, minek őrijévé, interpretátorává magát felerőszakolta. A tiszta Bráhma-vallás meg lőn vesztegetve, a kasztrendszer hihetetlen merevségig feszítettvén, milliomaik az ártatlan népségnek fosztott meg kétségbeejtőleg örökre az emberi jogoktól. Egymásután ütötték föl fejüket az ős vallás chaotikus tengeréből a különféle istenek, mik m. e. láthatlan, de rettenetesen erős testőrséget képezének a Brahmin körül s az azoknak szánt véres áldozatok roppant tömege terhesen adóztatá, ünnepeiken véghezment orgiák pedig erkölcsileg megölték a népet. E két baj volt mi már elviselhetlenné vált s a reformátor csak is e kettőtől: a kaszt rendszertől és a véres áldozatoktól igyekvék megtisztítani a Bráhma-vallást, első fellépésekor azzal másban mindenben egyezett.

*) Emlékezetet haladó időkben folytak és végződtek be e küzdelmek, de róluk tanúságot tesz a Ramajana és Mahabharata, két sanscrit hősköltemény, mely allegorikus képeivel a görög mythologia gyágásainak harcát juttatja eszünkbe, képes kifejezéseiből kivetkeztetett történeteivel a középkori Európa történetének azon szakaszát hozza emlékünkhöz, midőn a kard a pásztorhottal élethalál-tusákban viaskodott.